Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 2019

Quelle:
Copyright:

ſens noſtra, cui in medio *folium* excidit, jam etiam ſub *Iſidori* reperta eſt nomine, et ab *Oudino* cum toto illo *Homiliario* vindicata *Fauſto* Ep. *Regienſi*, ut alibi dixi.

IV. *fol.* 131. p. 2. ***Ex apparitionibus corporis et ſanguinis domini in ea forma, quae uere ſunt.*** Ineunt haec excerpta: *Nemo qui ſanctorum uitas et exempla legerit, ignorare poterit* &c. Referunt autem de Judaeo converſo, dum B. *Baſilius* myſteria ageret. Vide *Vitas PP. Roſweydi* L. I. c. 7. p. 156. De S. *Gregorio* M. et Matrona incredula. Vide *Pauli Diac. Vitae* c. 23. T. IV. Opp. *Gregorii* edit. *Maur. col.* 10. et *Joh. Diac.* L. II. *Vitae* c. 41. *ibid. col.* 58. De Monacho *Scithi* referente *Tarſinio* (Arſenio) et *Daniele* vide *Vitas PP.* mox *cit.* L. V. *Libel.* 18. p. 635.

DCCCXXII.

R. 3282 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 103. 8. non una manu, partim lineis longis, partim per duas columnas ſcriptus, et minio diſtinctus, olimque *Reſidentiae Soc. Jeſu Milleſtadienſis* in *Carinthia* ſequentibus Conſtat: I. *Micrologo de Eccleſiaſticis Obſervationibus*, quem poſt varias Literatorum hariolationes nunc ſatis conſtat eſſe *Ivonem Carnotenſem*. Primae Codicis membranae exciderunt ita, ut nunc initium ſit ab his *Cap.* VIII. verbis: *quin ſacerdos in miſſa ordinum inferiorum officia* &c. ſed et deinceps pluries mulctatus eſt Codex; a *Cap.* tamen XXXI. ad finem nihil deeſt. Lectio porro cum Edit. *Hittorp. Colon.* 1568. f. et *Bibliotheca PP. Lugd.* T. XVIII. p. 472. bene concordat. In *Bibl. PP. Colon.* 1618. T. XI. p. 380. *Cap.* 9. prave habetur: *donec Evangelium igitur* pro legitur.

II. *fol.* 18. p. 2. ſequitur *Bernaldi*, al. *Bertholdi*, quin *Bernhardi* Presb. *Conſtantien.* Tractatus *de vitanda Excommunicatorum Communione, de Rigore Canonum ſuper damnatione ſive depoſitione Lapſorum, item de Reconciliatione eorum ſive Haereticorum.* Titulum hunc ſumſi e praevia Epiſtola, quae nobis non inſcribitur *Gebehardo*, uti Exemplum a doctiſſimo Anteceſſore meo *Sebaſt. Tengnagelio* inter *Vetera Monumenta contra Schiſmaticos* &c. *Ingolſt.* 1612. 4. primum vulgatum praeferebat, ſed *GG.* quibus literis Seculi illius Scribae *Gregorium* ſignabant. Ceterum Exemplum illud multo perfectius fuit noſtro, e quo cum aliqua de medio exciderunt, tum ultra dimidium in fine deeſt; extrema enim ſunt: *ne de lapſis ſanctos patres cum nouacianis deſperaſſe iudicamus*, quae in Edit. *Tengnagel.* leguntur p. 264. opuſculo deinceps uſque ad p. 287. procedente. Fortaſſe tamen ex iis, quae nobis ſuperſunt, Editio illa aliquantulum perfici poſſit. Ita ſub ingreſſum pro *vel poſſeſſione ſua vel communione* manifeſte legendum eſt *profeſſione*, et pro *juxta atteſtationem B. Gelaſii Papae* probabilius *iuxta inſtitutionem* &c.

III.